

APOLOGIA PRO ABBATIIS NORBERTINORUM SCRIPTA

Die Säkularisation war nicht die Verwirklichung eines Gedankens, der heute geboren und morgen in die Tat umgesetzt wurde. Die Aufklärung hat sie vorbereitet und die Politik sich dieses Mittels bedient um auf billige Weise den Helfern Napoleons entgegenkommen zu können. Es fehlte nicht an Versuchen die Klöster zu retten. Im Pfarrarchiv zu Roggenburg, das einen Bruchteil der Archivalien des ehemaligen Prämonstratenserklusters Roggenburg bei Ulm übernommen hat, findet sich eine « Apologia pro Abbatibus Norbertinorum scripta ». Der Name des Verfassers dieser nahezu 8 Folioseiten umfassenden, handschriftlichen Apologie ergibt sich aus folgender, auf der letzten Seite von einer anderen Hand hinzugefügten Notiz : « Composuit D. Guillot, gallus Sacerdos et Secretarius D. D. Episcopi Tullensis, Roggenburgi per plures annos exul; vel ut vocati sunt Emigrantes, émigrés. » Auf diesen bischöflichen Sekretär nimmt auch bezug nachstehende, ebenfalls im Pfarrarchiv Roggenburg vorhandene Anfrage des Dekans Christoph von Zwerger in Illerberg : « Ferner bitte ich mir an die Hand zu geben... 2) die Zahl und Kongregation der canonicorum e Gallia emigrantium, welche dermals der canonia Roggenburgensi einverleibt sind oder darinnen wohnen, 3) den Namen und das Alter des französischen Geistlichen, welcher der Secretarius Rev^{mi} Epⁱ. Tullensis ist ». Dekan von Zwerger benötigte diese Angaben um dem Generalvikar in Augsburg den Status der Welt- u. Klostergeistlichkeit seines Dekanats vorlegen zu können. Im bischöflichen Archiv in Augsburg ist die von Zwerger'sche Zuschrift, die über den Verfasser hätte näheren Aufschluss geben können, nicht mehr vorhanden, in Illerberg sind die Nachforschungen noch nicht abgeschlossen. Und nun zum Text der Apologie selber.

1.

S. Norbertum, inclytum Ordinis Praemonstratensis Fundatorem,

celeberrimis Cleri catholici Reformatoribus, quales erant S. Eusebius vercellensis, S. Augustinus, S. Martinus Turonensis, S. Chrodegangus Metensis, accensendum esse, ex laudatissimis Historiae ecclesiasticae Scriptoribus, Fleurio, Godeau, et de Berault Bercastel compertum habemus qui omnes unanimi calculo testantur, Sanctum virum Norbertum in fundando suo ordine hunc sibi primum praestituisse finem, ut tales efformaret Sacerdotes, qui perfecte sublimi illi ideae corresponderent, quam Jesus Christus ipse, divinus Sacerdotii novi author et Institutor, Sapientia vere divina delineavit, et Ecclesiae a se fundatae commendare voluit. Ut scandalis concubinatus calamitosis seculi undecimi temporibus apud Clericos vix non de die in diem magis magisque invalescentis, vineam Dni, que est Ecclesia, instar apri de silva misere exterminantis et depascentis obviaret, voluit S. Norbertus, sacrae legis Coelibatus propugnator, ferventissimus, ut *Filii sui in servitio sacri tabernaculi candidi Nazaraei essent, et apostolici, virtute et scientia probe instructi Operarii in Vineam Domini.*

Haec *lex fundamentalis* hic praeclarus erat *finis* S. Norberti in suscipienda novi Ordinis — à Praemonstrato, primo ordinis loco Praemonstratensis dicti — fundatione in qua *Mariae non otiosa otia* ^{a)} et *Marthae sancta negotia*, seu vitam activam cum contemplativa, ut ajunt, apud suos, quibus auream S. Augustini Regulam praescripsit, sapienter consociare intendit.

2.

Ut legem fundamentalem, finemque primum ordinis sui juxta intentionem S. Fundatoris pro Bono Ecclesiae et status civilis perfecte adimplerent Abbatiae norbertinae successu temporis erectae, strenuo et indefessa contentione allaborabant. Educabant illae à primis ordinis incunabulis ad haec usque tempora innumerabiles Viros, virtute et pietate celebres, doctrina conspicuos, animarum lucrandarum zelosissimos; et in toto orbe christiano emiservunt opprime bonos Pastores animarum, dignos qui sal terrae et lux mundi nuncuparentur. Vindicant equidem quidam alii ordines religiosi merito sibi hanc Praerogativam, quod pro excolendis scientiis et litterarum studiis plus quam Praemonstratenses laborarint sed et haec Praemonstratensium Praerogativa est, quod nunquam famosis litteratorum Litigiis et bellis scholasticis sese immiscuerint, per

a) S. Berardus Serm. 2. de Assumpt. B. V.

quae non raro tranquillitatem et pacem Ecclesiae perturbatam fuisse scimus *). Duce S. Norberto scientiae sanctorum praepriis inhiabant ipsius Filii; illi, inquam, scientiae non quae instat, sed quae aedificat qua tamquam gladio spiritus et scuto fidei armati, mundo potenter resistere, et pro salute Electorum proelia Domini felici successu proeliari valerent. Hinc numerabantur nullo non tempore etiam inter Praemonstratenses Viri doctrina sana et scientia salutis praecellentes, qui in sanctificationem animarum unice intenti, populos ad supremi Numinis agnitionem, cultum et amorem perducere zelo numquam satiando satagebant **). Imo in publicis quoque Athenais ex abbatibus norbertinis evocabantur Viri, qui altiores Litteras et Scientias publice docerent. Sic in Germania nostra Universitas coloniensis ex Steinfeldensi et Oenipontana, ex Wiltinensi Abbatia serie non interrupta Praemonstratenses ad Cathedras scholasticas vocavit. Ut sacramentariam et adamiticam Tanchelini haeresin, in Belgii provinciis periculosissime grassantem, nemo alius quam S. Norbertus cum suis sociis extinxit; ita Lutheranis in Alsatia et archidiocesi coloniensi, calvinistis in Grisonia et Hussitis in Bohemia ceu fidei catholicae intrepidus defensor constantissime sese opposuere Canonici Praemonstratenses. Unde non immerito Aubertus Miraeus Theologus Bruxellensis ^{b)} animadvertit : Ut olim Simoni Mago Simonem Petrum Ario Athanasium, Nestorio Cyrillum, Irviniano et Vigilantio Hieronymum, Pelagio et Mani Augustinum, et saeculis posterioribus Albigenis Dominicum, et Luthero Ignatium Lojolam, sic Tanchelino Deus teroptimus maximus opposuit Norbertum, qui orbi divinitus datus fuisse videbatur, ut religionem christianam in Belgio apud Saxones, Moravos, aliosque septentrionales populos per se suosque quam latissime propagaret, et ut Schisma inter Innocentium II. et Petrum Leonem exortum tolleretur.

3.

Quaelibet Norbertini Ordinis Canonica, si ad *fundamentalem*

*) Famosus Voltairus, in laudibus religiosorum adulationis nequaquam suspectus, de Praemonstratensibus aiebat : Die Praemonstratenser, von Norbert gestiftet, machen am wenigsten Lärm, und taugen (am) meisten. Voltaire in der allgemeinen Weltgeschichte.

**) Quisquis super his melius instrui cupit, videat, *Ephemerides Hagiologicas ordinis Praemonstratensis*, à Reverendissimo Georgio IV Abbate Roggenburgi conscriptas, et librum, cujus inscriptio : *Spiritus litterarius Norbertinus*, ab eodem R^vdissimo Authore Typis commendatum.

b) In Chronico Ordinis Praemonstratensis in Epistola dedicatoria ad Abbatem Tongerloensem.

Ordinis legem, (n.t.) et ad apostolicas Norbertinorum occupationes (prae) reflectamus, perbene ordinatum *Seminarium Clericorum*, et Coloniae sacrorum Pastorum jure compellari poterat.

Juniores enim religiosi in claustrali solitudine ad grande munus Pastorum animarum sese capaces reddere tenebantur. Laborandum iperat (sic!), ut semetipsos perficiant et proficiant, ut spiritu norbertino-apostolico repleantur, et ut virtutes ac scientias Vocationi suae congruas assequantur, quibus praediti postea ad excolendam vineam Domini destinati, messem centesimo fructu fertilem colligere possent. Ii, qui sacerdotio initiati erant, aut in Parochiis Abbatiae incorporatis — quarum plures unaquaeque Norbertinorum canonici possidebat — aut in ipso monasterio salutis hominum invigilabant, et obedientia jubente juventutis studiosae educatione et informatione, in Gymnasio cuilibet Abbatiae proprio, Catechizatione verbi divini praedicatione, Sacramentorum fideli administratione, charitativa ad virtutis studium exhortatione, suavi correctione, et aedificatoria conversatione fructus uberrimos producebant; Vigilantibus interea continuo Superioribus, ut omnes ministerium commissum implerent, et ut singuli in verbo et facto forma gregis ipsi concrediti existerent.

Seniores omnes, qui ob defectum et debilitatem virium laboribus curae animarum suscipiendis impares erant, tertia classis illorum erant, quibus unica cura salutis propriae, ut salvarent animas suas incumbabat.

Ex istis Norbertinis seminariis et coloniis prodibat non solum selectus communium sacerdotum chorus, pascendis Christi ovibus dignissimus; in pluribus provinciis norbertini etiam ad episcopales et Archiepiscopales Infulas vocabantur; imo plures sedes episcopales iuxta testimonium Annalium Praemonstratensium ^{c)} hereditario quasi iure ad Praemonstratenses ita devolutae sunt, ut serie non interrupta non nisi alumni Ordinis S. Norberti ad illas assumerentur. Huiusmodi erant: Episcopatus Raceburgensis in Saxonia, Rigenensis in Livonia, Olmucensis in Moravia Luthomisliensis in Bohemia ^{d)}. Pragae quoque Bohemiae metropoli, Valentinus et Saxonia et Henricus Brzetislaus Strachovii praemonstratensis Canonici alumni erant episcopi; et Joannes Lohelius, eiusdem monasterii prius abbas, creatus est ibidem Archiepiscopus, cujus nominis fama singulariter in Benedictione est, quique cum tot aliis Prae-

c) Part. II, p. 450 et seqq.

d) Annal. Praemonstr., Part. II, p. 116 et seqq.

monstratensibus ad sedes episcopales provectis, et super candelabrum positus ostendit, quod spiritus S. Norberti, celeberrimi illius Magdeburgi Archiepiscopi, duplex in ipsis resederit ^{e)}).

4.

De praestantia instituti Norbertini ad eo convicti erant summi Ecclesiae rectores Romani Pontifices, ut illud non solum splendidis laudum encomiis depraedicarint, sed et singularibus praerogativis et privilegiis largissime ditare decreverint. Innocentius IV in concilio Lugdunensi anno 1245 Ordinem praemonstratensem his verbis dilaudavit : « Sane mundo celebris, et supernis grata civibus sacra religio praemonstratensis Ordinis a suae plantationis initio. Regis aeterni fuit habitaculum, virtutum splendoribus illustratum, quod semper honore proficiens, et honestate concrescens generalis ecclesiae extulit, et decorem multimode ampliavit. » Joannes XXII anno 1317 Avenioni nonis Januarii hoc elogio Praemonstratenses honoravit : « Attendentes, quomodo religio et ordo vester multa refulgens gloria meritorum, et gratia redolens satitatis palmites suos a mari usque ad mare extendit, ipsum ordinem et universas domos eiusdem apostolica protectione duximus muniendos. » Clemens VII anno 1603 haec effatus est : « Ordo vester ad hoc institutus est, ut perpetuum sit in ecclesia Dei virorum fortium et fidei catholicae propugnatorum seminarium. » Qui plura eiusmodi testimonia desiderat, adeat Le Paige, Bibliotheca Praemonstratensia et citatos supra Annales Praemonstratensium in Praefatione n^o XIV et seqq.

Praeter plura specialia Privilegia Praemonstratensibus indulta S.S. Pontifices Urbanus IV, Clemens V, Joannes XXVI et Concilium Basilense declarabant, et iteratis vicibus publice confirmabant, quod Praemonstratenses sint *nati animarum Pastores ad beneficia curata administranda habiles*; quod ipsum anno 1750 Benedictus XIV, in Bulla *Oneroso* de novo his formalibus sancivit : « Ut ipsi nunc et perpetuis futuris temporibus absque ulla oppositione et contradictione quascumque parochiales ecclesias, etiam seculares, illarumque perpetuos Vicarios clericis, seu presbyteris saecularibus conferri et assignari solitas, si tamen eis et eorum cuilibet canonice conferantur aut ipsi eligantur, praesententur vel alias assumantur ad illas, absque dispensatione apostolica consequi, et in quavis autoritate in-

e) Chronologisches Verzeichnis der Bischöfe und Erzbischöfe zu Prag in Antons Godeau Kirchengeschichte XXXVII Theil.

stitui, illasque recipere, et quoad vixerint, retinere libere et licite possint et valeant ^{h)}).

5.

Id equidem fatendum est, institutum Norbertinorum eandem cum omnibus humanis institutis, quae sub sole existunt, sortem habuisse, eo quod de cursu temporibus primus fervor apud nonnullos deseruerit, et in quibusdam abbatibus aurum optimum Spiritus norbertini, omisso primaevo suo nitore, fuerit obscuratum. Ast quis aequus rerum aestimator, cui vera communisque Ecclesiae et status civilis felicitas cordi est, ideo omnimodam destructionem et extinctionem tam praeclari instituti ⁿ⁾ postulabit, quod iam ultra sexcentos annos et ecclesiae et statui tam multa, eaque summi momenti emolumenta ad hoc usque momentum praestitit (n. 2-3). Nullus enim vero sane mentis homo aurum, cujus splendor per injuriam temporum deperit, projiciendum judicabit, sed ut a maculis contractis purgetur, et primaevae suae pulchritudini restituatur, optabit. Quidni idem de Instituto norbertino dicamus? *Si obscuratum aurum est, si mutatus color optimus*, ne propterea statim omnes lapides Sanctuarii in capite platearum dispergantur, sed iuxta S. Jeremiae monitum *separetur pretiosum a vili* ^{g)}, *emundetur argentum, purgentur Filii Levi*, ut Malachias loquitur ^{h)} *et colentur quasi aurum et argentum et erunt offerentes sacrificia in justitia et placebit Domino sacrificium sicut dies seculi et sicut anni antiqui*. Seu, ut apertius loquamur, in id omni virium conamine incumbatur, ut errantes corrigantur, ut ad primum instituti fervorem reducantur, et ut amicti auro primo primi Spiritus Norbertini (n. 1) ceu *Candidi Nazarei et tamquam digni ministri Christi et fideles dispensatores Mysteriorum Dei* praemonstratenses religiosi compareant. Eiusmodi reformationem, non destructionem Abbatiarum praemonstratensium, aliorumque regularium hoc praesertim tam periculoso tempore summopere necessariam fore, quis prudens inficias ibit si paulo attentius consideret, quomodo in patria nostra Pseudophilosophis undique impleta, et in scholis publicis, et in nonnullis clericorum Seminariis quoque *exsurgant viri*

h) hoc numero recensita fusius pertractarunt Reverendissimus Willibaldus Held Abbas Rothensis in Iurisprudencia universali L. III, P. II, p. 796 et seqq., et R. Georgius IV, Abbas Roggenburgensis in Dissertatione historico-canonica in librum Decretalium 3, tit. 35 de Statu monachorum et canonicorum regularium.

g) Jeremiae 15, 19.

h) Malach., 3, 3-4.

loquentes perversa, ut abducant discipulos post se, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia, vere lupi rapaces ab apostolo delin-
neati ⁱ⁾ *non parcentes gregi*, ita quidem ut non solum numerus Levi-
tarum bonorumque sacerdotum de die in diem sensibilter decre-
cat, sed et metuendum sit, ne Stemma tribus leviticae novi Testa-
menti in terris nostris penitus emoriatur, nisi novi et vividi palmites
ex domibus Regularium illi associantur.

6.

Ad complendam tam necessariam et salutarem Reformationem
Abbatiarum norbertinarum ceu *Seminariorum clericalium et co-*
loniarum pro educandis bonis animarum Pastoribus fundatorum
(n. 3), in quibus perfectio evangelica contra insultus mundi hujus
in maligno positi securum asylum haberet, id praepremis cu-
randum esset, ut in monasteriis, quae tristem saecularisationis me-
tamorphosin passa sunt, Superioribus quorum iurisdictio spiri-
tualis per dispositiones Potestatis saecularis totaliter enervata et
suppressa jacet, denuo conveniens activitatis sphaera attribueretur,
in qua constituti *evellere et destruere et disperdere et dissipare et*
aedificare et plantare valerent; et ut illis ab ecclesiastica simul et
civili potestate pristina autoritas restitueretur, qua praediti juxta
S. Hilarii praescriptum ^{k)} *infirma confirmare, disrupta consolidare,*
et depravata convertere, primumque per S. Norbertum initio funda-
tionis (n. 1) stabilitum vitae religiosae et apostolicae ordinem, ac
ordinis Spiritum resuscitare et introducere possent.

Ad istud perficiendum, nemo non videt, Susceptionem tyronum
tam absolute necessariam fore, quam prudentem circumspectionem
in recipiendis iis, qui sponte illecebili hoc tempore monasteria des-
truerant; ut scilicet iis tantum janua aperiatur, qui prompto animo
jugo disciplinae religiosae a S. P. Norberto praescriptae colla sub-
mittunt, quique spem indubitata faciant, quod digne sublimi voca-
tione sua velint ambulare, et nunquam ex illorum hypocritarum
numero esse, qui sunt *sepulcra dealbata quae a foris parent homi-*
nibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni
spurcitia ^{l)} et qui in *vestimentis ovium veniunt, et intrinsecus sunt*
lupi rapaces ^{m)}; seu ut S. Norbertus ipse ⁿ⁾ advertit : « Qui habitu

i) Act. 20, 29-30 ad Tit. 1, 11.

k) Homil. in C. 26 Matth.

l) Matth., 23, 27.

m) Matth., 7, 15.

n) In Sermone ad fratres suos.

religioso sub specie columbinae simplicitatis exterius nitide amicti, a Devotione perfectae religionis coram Deo, cui cogitationes omnium nudae et apertae sunt, interius misere nudati sunt »; hujusmodi enim perversi et incorrigibiles monente S. Augustino ^o) « ne contagione pestifera plurimos perdant, a societate projiciendi sunt ».

7.

Quum porro nunc Institutum Norbertinorum non modo in Regno Galliae, quod illi in loco praemonstrato incunabula, et Sedem Generali totius Ordinis dederat, sed et in omnibus aliis Provinciis Galliae subjectis totaliter extinctum lugeamus, Abbatiae norbertinae Germaniae, quos ipsa extraordinaria Deputatio Procerum Imperii Ratisbonae congregata *insontes Pacis Victimae* compellavit, in ultimo existentiae suae discrimine collocatae, post Deum spem omnem in meditationem Sanctissimi Domini et Pontificis Maximi Pii VII reponunt.

Gloriosissimae memoriae Pius VI. P. M. tam singulari praedilectionis affectu erga Institutum norbertinum ferebatur, ut post mortem eminentissimi cardinalis Alexandri Albani, per plures annos Protectoris Ordinis S. Norberti, Ipus Protectorem hanc, isthac gratiosissima Declaratione, Procuratori Ordinis facta, suscipere dignatus sit : *Ego sum, et ero Protector vester*. Causam tam singulariter, gratiosae protectionis propriae Augustae Vindelicorum in suo ad summam sedem reditu sciscitatus a Reverendissimo Georgio IV Abbate Roggenburgensi, tunc temporis Vicario generali, reponere non dedignabatur : *Eo quod ordo vester candidus de Ecclesia nostra Catholica admodum meritis est*.

O ! ut modo gloriosissimae Ecclesiam Christi gubernans dignissimus Pii VI Successor Pius VII in indefessis suis pro Bono Religionis et totius Ecclesiae curis ac Laboribus, etiam superstitem adhuc norbertinam Progeniem potenti sua Protectione dignam aestimaret ! utinam omnipotens totius Universi conditor et moderator Deus, qui omnipotentiam suam parcendo maxime et miserendo *manifestat, qui mortificat et vivificat, qui humiliat et sublevat* ^p), negotiationibus sui in terris Vicarii benediceret, ut in his diebus malis, quibus pessimi Pseudophilosophorum ordines et Societates in damnum Ecclesiae et in perniciem totius revelatae Religionis quotidie et

^o) In Regula cap. VI.

^p) I Reg., 2, 6-7.

numero et nocendi studio augentur, praeter alia praeclara Ordinum religiosorum instituta etiam afflictæ Abbatiae norbertinae ad primam irreprehensibilem Foundationis suae normam et Disciplinam revocarentur; quibus exin nihil sanctius erit, quam avitum, ab ipso S. Norberto opere consummatum, et Filiis suis singulariter commendatum pro defendendis juribus summae Sedis Apostolicae zelum, inconcussum item in proeliandis proeliis Domini contra fidei hostes animum, et assiduos in excolenda vinea Domini labores noviter resuscitato et nunquam emorituro fervore ad majorem Dei honorem et gloriam, et ad animarum salutem continuare.

8.

Pro commendatione *Canoniae Roggenburgensis* in Suevia in Marchionatu Burgovico, et in territorio austriaco sitae pauca subnectere liceat.

Ab anno foundationis, qui erat post Christum natum 1126, ultra sex Saecula Canonici ibidem existentes *legem fundamentalem Ordinis*, a S. Ordinis Institute stabilitam (n. 1) perfecte ad implere, et fini praestituto satisfacere unitis viribus ad haec usque tempora contendebant. Si ulla, certe Roggenburgi religiosa domus *Seminario clericorum*, et *Coloniae sacrorum Pastorum* supra (n. 3) descriptis aequiparari poterat. Conventus Canoniorum Praemonstratensium ibidem congregatus quadraginta et ultra Religiosos numerabat, quorum praecipua et principalis cura haec erat, ut in tota late vicinia populis potissimum ruri degentibus ad votum S. Norberti in scholis trivialibus in catechesi, in cathedra, et in confessionali principia sanae doctrinae communicarent; et verae religionis cultum verbo et opere promoverent. Octo paraeciae per expositos, et tres per excurrentes, ut ajunt, Pastores administrabantur. Illi, qui post completum biennalis Novitiatus tempus S. Professionem emisserant, primitus stimulabantur, ut illas sibi virtutes compararent, quae maxime ad multorum salutem procurandam necessariae atque utiles esse solent; et ex inde ad excelsum Pastorum spiritualium munus in monasterio quasi per gradus praeparabantur et promovebantur, constitutis ex gremio conventus Professoribus publicis ordinariis, qui sublimiores Scientias, *Eloquentiam sacram* nempe, *Philosophiam*, *Theologiam theoreticam et practicam* et *jus universum* Junioribus praelegebant, et in publicis disputationibus, ad finem studiorum ex more institutis, urbi et orbi doctrinae suae et scientiae traditae rationem reddere tenebantur, *quod non plus sapiant, quam*

oportet sapere, sed sapiant ad sobrietatem ^{q)}. Alii insuper in *Gymnasio roggenburgensi* educationi studiosae juventutis sagaciter insudabant, nullum non lapidem moventes, ut juvenes hic congregatos non solum in litteris et Musica sed et in moribus et Pietate optime erudirent, quibus ditati vel status ecclesiastici, vel civilis, pro ut desuper vocati erant, utilia membra efformarentur.

Quod praeterea Roggenburgum toto tempore existentiae suae viros foverit, religiosos doctrina non minus, quam Probitate vitae conspicuos, non solum *historia roggenburgensis* a P. Philippo Bayrhamer Roggenburgensi conscripta et Typis edita, testatur, sed et alii extranei fide dignissimi Scriptores commemorant ^{r)}; et nil inde liquet, quod non solum plures Summi Pontifices, praecipue Lucius II, Innocentius IV, Clemens IV, Innocentius VI, Bonifacius IX et Alexander VI ^{s)}, sed et Summi regni Romano-germanici moderatores, Sigismundus, Maximilianus I, Carolus V, Ferdinandus I et Rudolp(h)us II roggenburgensi monasterio plura specialia privilegia gratiosissime concesserint.

Certe cuilibet oculos videndi, et aures audiendi habenti jam nunc plurima eaque convenientia testimonia occurrunt, ex quibus videre est, quam vitiosa existat Roggenburgensis monasterii Saecularisatio utrique, ecclesiasticae scilicet, et civili Reipublicae; et quivis, etiam superficialis tantum intellectus, ex iis, quae in praesenti contingunt, facili negotio concludere potest, quid pro futuro tempore timendum sit, cum non solum ob inopiam Panis materialis, sed multo magis propter defectum Panis spiritualis, ex imminuto bonorum Sacerdotum numero semper magis invalescentem, multimodo ingemiscendi causa adsit : Parvuli petierunt panem, et non erat, qui frangeret eis ^{t)} et conquaerendi : Messis quidem multa, operarii autem pauci ^{u)}.

Augsburg.

Dr. Franz BADER.

q) Rom., 12, 3.

r) Corbinianus Kham in Hierarchia Augustana, et *Suevia ecclesiastica* verbo : Roggenburgense p. 722.

s) Johannes Christian Lünig, des deutschen Reichs-Archivs Spicilegii ecclesiastici, p. III, C. 6, f. 433.

t) Threm., 4, 4.

u) Matth., 9, 37.